



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XXIV. JUNII.



Arisiis a. d. 25. Maii.

Dux Aurelianensis cum Boisio Cardinali quam sæpissime agitare solet consilia; neque tamen quas illa res concernant

cuiquam innotescere adhuc potuit Episcopus Aureliæ in primario vr̄bis templo decem constituit sellas in quibus in posterum Patres Soc. Jesu peccata confitentes audient, neque enim cuiquam ex illorum Sacerdotum numero has muneris sacri partes obire licebit, qui *Constitutioni* adhuc contradicunt. Breitiæ, quæ vr̄bs est Britannia minoris duæ naves bellicæ sunt exornatæ, quibus legatus regis Constantinopolim profecturus vehetur. Duæ vero aliæ propediem paratæ erunt, quas ad persequendos prædones maritimos exmissum iri ferunt. Cum nuper Dux Aurelianensis Versaliam arcem paullo diligentius lustrasset, vehementer indignatus est illis, quorum incuria factum est, vt non solum horti sed & ipsa arcis ædificia non

parum sint labefactata. Heri, cum ad occasum iam sol vergeret, cursor extraordinarius ex Hispania missus Aurelianensi Duci litteras adtulit, quibus lectis, nulla interposita mora, Patres sanctioris consilii in regis cubiculum conuocandos curauit, vnde res ei graues nuntiatas esse autumamus. Ceterum soporatum hæctenus Massiliæ malum præter spem atque opinionem recruduit. Peste enim, quæ profligata videbatur, vir quidam ac femina cum duobus infantibus obierunt, nec vanis iudiciis creditur, duos tresue homines alios morbi contagio correptos esse; spes tamen est, breui eos sanatum malumque hoc penitus eradicatum iri, Rex enim & qui ei sunt a consiliis, Massiliæ Patribus, quomodo ingruente calamitate hac publica gerere se debeant, accurate præscriperunt, quo mature, ne latius serpat malum, caueatur.

Londini a. d. 26. Maii. Centuriones aliiq̄ue rei militaris præfecti consilia nuper agitabant, quibus tranquillitas vr̄bis

bis huius quam certissime stabiliatur. Nobilis quidam senio confectus, diu quæsitus inventus tandem atque captivus huc deductus est. Judicibus, quibus Londini atque Westmonasterii cura pacis demandata est, aciter fuit iniunctum, ut clandestinos conventus, quibus civium seditio fouetur, reprimant. Illis etiam, qui portibus naualibus præfident in mandatis datum est, ut cunctos, vel abeuntes ex regno hoc, vel huc appellentes solicite expiscentur. Imo singulæ huius vrbs ædes iam studiose lustrantur, num ii, qui præsentis imperii rationibus male cupiunt, arma, equos aliaue bello alendo idonea absconderint. *Marchio* Grahemensis, Ducis montis rosarum filius natu major cum, *Marchione* Bomontii, vnico Ducis Roxburgi filio, ordina Patrum Magnæ Britanniae a rege adscripti sunt, atque illi quidem *Baronis & Comitum* Grahemensis de Belford, in Northumbriae comitatu, huic vero *Baronis* atque *Comitis* Kerensis, in Ducatu Eboracensi nomina sunt imposita.

Indidem a. d. 28. Maii. Civium opiniones de natura ac ratione detectæ nuper coniurationis, prout ipsi diversas sequuntur partes diversæ sunt, & rumor plane incertus. Sunt qui inde ortam esse contendunt, quod nonnulli senatus summi proceres, variis in regni huius locis, non provide satis cooptati fuerint. Amicos igitur Equitis Georgiani, rerum nouarum studio, quo populus nunc agitur, opportune vsos, ut aduersus regem conspirarent, civibus paulatim insinuasse, atque aliquem exterorum principum in partes suas pertrahere voluisse. Sed repulsam ipsos tulisse a principe illo, eumque regi facinus quod, moliebantur, celatis licet coniuratorum nominibus indicasse.

Ex Holsatia a. d. 1. Iunii. Moscouia accepimus Magnum Russorum Ducem in instituenda Petroburgi artium Aca-

demia, vsurum maxime Kantimiri consiliis. Est hic Princeps Moldaviae, vir multarum artium scientia ornatissimus, & plurium linguarum latinæ imprimis peritissimus. Demandabitur ipsi suprema huius Academiae cura, iniunctumque iam ei esse aiunt, ut doctissimos quosuis eruditionisque laude florentes viros, vnde libuerit arcessat, ipsisque largum stipendium præbitum iri spondeat. Per aliquot adhuc hebdomadas laudatus M. Dux hisce negotiis vacabit, quibus rite compositis Petroburgum reversurus esse fertur. Instructa enim ibidem classis propediem solutura ac vela ventis datura est.

Constantinopoli, a. d. 24. Maii. Proximis hisce diebus complures cursores extraordinarii e finibus Persiae ad Imperatorem turcicum missi nuntiarunt, plurimos in eo regno a fide & obsequio regis defecisse. Præcipui rebellionis auctores sunt, *Mirueisus*, atque *Scheich Mahmudus*. Prior ille totam eam regionem, ab vrbe Gandahara ad Aspahamum vsque, quæ sedes regum Persiae est, sub suam iam redegisse potestatem, deuictisque copiis regis suburbia Aspahami dispoliasse dicitur; quin & Castellum ipsum, in quo rex erat ab eo iam expugnatum aiunt, ex quo tamen rex quatuor admodum stipatus comitibus elabendi occasionem nactus est. *Mirueisum* hunc opibus Magni Mogolis adiutum, magnam sibi apud rebelles conciliasse auctoritatem, copiasque insuper eius quotidianis perfidorum accessibus mirum in modum augeri, eo quod hominibus suis prædam omnem, qua in expugnatione urbium atque oppidorum quisque potitur permittit, neque cuiquam, turca sit vel Christianus parcat. Ex altera Persidis parte *Scheichbius * Mahmudus*, haud minus aduersus Persas proficere fertur. Octo illæ naues bellicæ, quæ in portu nostro sunt

or-

ornatae, in mare iam egressae sunt cursumque suum versus *Dardanellas* direxerunt, ubi complures eas expectant naues apparatu bellico atque militibus onustae, quibuscum, posteaquam Tunetanæ & Tripolitanæ accesserint, quo destinatae sunt, proficiscentur, nullus vero vel diuinando adsequi potest, quorsum ea spectet expeditio.

* *Scheich* vel etiam *Scheick*, apud Arabes, *Seniorem* itemque Dominum denotat. Mahometani eo titulo insignire consueverunt Sacerdotes suos, qui statim temporibus publicos ad populum instituunt sermones exhortatorios.

Posonii, a. d. 24. Junii. Siquidem praestituta publicorum regni Comitiorum dies elapsa iam est, frequentissimos adesse videas provinciarum atque urbium regni ablegatos, qui plena agendi potestate instructi iisdem comitiis intersint. Sed nec urbis nostrae Magistratus earum rerum quidpiam omittunt, quas ad procurationem suam pertinere existimant. In his pontem cum primis naualem connumeramus, qui diebus superioribus iungi coeptus, prorsus iam coadunatus est, habetque naues.

Alioquin accipiendi Caesaris Augusti, Regis nostri indulgentissimi rationem, (*Directorium* vocant) publici iuris fecit Excellentissimus Regni Hungariae Palatinus, Comes Nicolaus Palffy ab Erdöd. quam cum lectoribus nostris hic communicamus. Nimirum: Die tertia Julii Augustissimus Imperator cum Augustissima coniuge ex Viennensi secessu suburbano, quem *Fauorittam* dicunt, mouere constituit. Eadem die Fischamündæ pransus, Petronellæ noctem extrahet. Inde, secutura die, puta 4. Julii Farkasfalvam, Austriae vicum accedet ibique sumto prandio, delectis Regni Hungariae & Croatiae ablegatis, gous vici illius Castellum pedibus subire oportebit, audientiam pro loci opportunitate, ac osculandarum simul manu-

um potestatem impertietur; ea nihilominus lege, ne pro adulti moris ratione, Status Croatiae a solempni isthac cerimonia excludantur. Urbem, si id quidem tempestatis ratio permiserit, equestri pompa subintrare constituit Caesar, quam tamen, ut sumptibus, pro temporum difficultate parcatur, quam modestissime instituendam decreuit. Ad eum ponticulum, quo fossa ea iuncta est, quae Regnum Hung. ab Austria determinat, tentorium, pro Augusti Maestate tapetibus inuestitum pandetur. Mensulam in eo stratum holoserico, & iuxta duas fellas collocari oportebit, accipiendo Augusto & Coniugi optimae destinatas. Inibi, a dextris quidem Germanus a sinistris Hungarus collocabitur miles. Simul ac finibus nostris adpropinquarit Caesar, summi primum Aulæ Ministri atque Proceres; postea Augusta Caesaris Coniux, Regina nostra longe clementissima, vltimo denique Imperator ipse e curru exscendet. Opperientur vero ibidem Incliti Regni Hungariae status, (quos eo usque, Praelato crucem praeserente obuiam oportebit proficisci) Indulgentissimum Caesarem, Eundemque, tentorium, quod diximus, vna cum Augusta subintrantem comitabuntur. Tunc *Eminentissimus Cardinalis de Saxonia, Archiepiscopus Strigoniensis, idemque Regni Primas*, oratione latina Augustum Augustamque, Statuum ac Ordinum nomine salutabit. Responso a Caesare accepto vniuersi Status ad osculandas manus imperatorias admittentur. Sub idem tempus in arce & vrbe Posoniensi tormenta prima vice displodentur, gentis gaudium, quo aduentantem Regem optimum, Patremque Patriae, accipiet, testatura. Post audientiam illam praecedet *Venerabilis Clerus*, vt mature in arce sit illicque postea ad sacellum, *Sacratissimam Caesarem Maiestatem*, quam humillime accipiat. Ipse Imperator, nisi

id tempestatis ratio vetuerit, equestri, uti diximus, pompa, urbem ingreditur, sequentibus eum longo ordine vacuis Magnatum & Nobilium carpentis, siue autem equestrem siue currulem ingressum esse contigerit, Prælatus nihilominus, equo vectus, crucem, Regni insigne, præferet. Quod si itaque serena tempestas equestrisque fuerit ingressus, Augustissimus Imperator equo vehetur, Augusta vero *carpenti* utetur vehiculo: Aulæ ministri, Magnates atque Nobiles in equis sedentes sequentur. Si autem currum beneficio ex ratione temporis ingressum fieri oporteret, non Imperator modo cum Augusta coniuge, sed omnes etiam Aulæ ministri nec non status & Ordines regni currus suos conscendent. Ad ipsam portam Viennensem Magistratus urbis aderit, gratulatione in adventum Cæsaris per consulem instituta, claves urbis Imperatori Augustissimo redditurus. His solemniter peractis, Imperator Augustissimus dato responso Patribus urbis claves restituet eisque vna cum Augusta coniuge, manuum suarum exosculandarum potestatem faciet. Deinde tormentis secundum disposure æs campanum pulsabitur; ubi tamen, ne explosione tormentorum periculum aliquod acceleretur sollicite erit prouidendum. Inde Magistratus ciuicus nudatis capitibus Imperatorem Augustissimum ad arcem vsque comitabitur, Eminentissimo Cardinale ac vniuerso Hungariæ Clero ad gradus magnos, prope Oratorium Eundem præstolante. Hic postea ad alto more *Cardinalis* Imperatorem eiusque coniugem Augustam aqua consperget lustrali, impertitaque benedictione signum crucis ad exosculandum præbebit. Inde gradibus iisdem ad Oratorium procedetur, exoneratisque tertium tormentis, hymnus, *Te Deum laudamus*, decantabitur. Quatuor autem ciuium centuriæ quæ inde a ponte ex utroque platearum latere dispositæ consistent

Imperatoremque ad arcem vsque comitabuntur, ab armorum explosione, ne quid exinde oriatur iufortunii, se abstinebunt. Sequentis statim post ingressum diei vespere, nisi forte dies festus impedimento fuerit, Augustissimus Imperator voluntatem suam inclytis statibus intimari curabit. Demandabitur id muneris Aulæ Præfecto & R. H. Palatino, qui venerando Clero statibus & Ordinibus præstitutam horam, qua se apud Imperatorem sistere debebunt, indicaturus est. *Magister* autem *Janitorum regalium* cum aliis ad id destinatis ad retundendum plebis impetum in atrio palatii (Ante-Cameram dicunt) constituetur. Ipsa die, qua regis postulata proponentur, Status & ordines Regni cum Proceribus Aulæ hora præfixa comparebunt, Cæsarem Augustissimum Regemque indulgentissimum in Sacellum regium comitaturi, in quo *Eminentissimus Cardinalis* Regni que Primas, sacra, (Officium de Spiritu Sancto vocant) præsentibus *Episcopis* reliquis ipsoque ceremoniarum Magistro, ministraturus est, vnde reducem Imperatorem in intimum suum cubiculum comitabuntur. Tandem sacris peractis, Imperator Augustissimus ex conclauis suo in atrium exiens, thronum conscendet. Status vero & Ordines e regione throni sub theatro, Hungaricus *Cancellarius* a sinistris Imperatoris in ipso theatro, aliquantulum ultra summum Aulæ *Cancellarium* consistet. Tum *Cancellarius* Hungaricus, flexis genibus mandata ab indulgentissimo rege accipiet, passusque aliquot progressus, lingua Hungarica postulata exponet. Deinde Imperator Augustissimus status & Ordines alloquetur, acceptasque ab Hungarico *Cancellario* propositiones obsignatas, *Archiepiscopo* Strigoniensi tradet. Qui postea Statuum & Ordinum nomine demissas Ei habebit gratias, Atque sic iterata manuum Imperatoris exosculatione actus iste sollemnis terminabitur.